



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 113. Althempsius Cardinalis Tridento ad suam Diœcesin secedens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

tantum Episcopum a Christo institutum: ^{Sæc XVI.}
 infinuat vero, ceteris nullam esse pote- ^{A C 1562.}
 statem, nisi ab illo pendentem: quod
 perinde est, ac si dicatur, unum solum
 esse Episcopum, ceteros ejus Vicarios,
 ad placitum ab eodem Episcopo amo-
 vendos. Postea subjunxit: animo meo
 statui excitare Patres universos, ut per-
 pendant, qua ratione auctoritas Epif-
 copalis adeo prostrata, ac prope inter-
 mortua spiritum ducere possit, ne fun-
 ditus intereat, cum omnes hæ regula-
 rium Societates, quæ indies augentur,
 illam tam vehementer concutiant (*).

§. CXIII.

*Althempsius Cardinalis Tridento ad
 suam Dioecesin secedens.*

Cum hisce altercationibus Synodi ne- ^{Pallav. c. 16.}
 gotia plurimum retardarentur, Al- ^{n. 1.}
 thempsius Cardinalis Tridento disceden-
 di,

(*) Hæc Gallum innato primæ iracundiæ
 ardore effutiisse haud mirum: quinimo Sar-
 pius, præter quem nemo alius talia refert, ad-
 huc magis absurda, & temeraria profert, quo-
 rum proterviam Continuator forte exosus, ea
 recitare erubuit: vide Pallavicinum lib. 18.
 cap. 15. n. 18. & seq. qui Suavis mendacia &
 calumnias ab eo circa Parisiensis hujus Epi-
 scopi orationem excogitatas refellit.

G g 4

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

di, atque ad Constantiensem Dioce-
sin suam divertendi veniam a Papa pe-
tiit, pollicitatione facta, se quamprimum
postea reversurum. Ergo Mense Octo-
bri ad finem vergente discessit, nec ta-
men, ut promiserat, rediit, (*) sed mu-
tato consilio Legati dignitatem abdicavit,
forte ratus, quod in Germania
subsistens eo facilius sua præsentia hu-
jus Nationis Episcopis, ut & ipsi ad Syn-
nodum venirent, persuadere posset, seu
id fors ideo factum, quod ob juvenilem
ætatem se necessaria rerum experientia,
rebusque majoris momenti in tam con-
spicua Synodo pertractandis dexteritate
haud satis instructum crederet. Ali-
unde summus Pontifex novos Legatos
illis, qui jam tum præsentibus
erant, adjungere decreverat, huiusque
muneri, ut jam supra meminimus, Bar-
daserium & Navagerum Cardinales
destinabat, qui ad hanc dignitatem ad-
modum

(*) Rursus Continuator inveterata Eccle-
siasticos calumniandi consuetudine abreptus
refert, hunc Cardinalem reditum promississe, ac
violata fide Legati dignitatem abdicasse, cum
tamen Scriptores referant, quod Synodi Præ-
fides post ejus discessum statim de alio Lega-
to egerint, alias persuasi, quod *professiones*
temporarias sæpe in perpetuas mutantur. Vide
Pallavicinum l. c.

modum idonei ac ætate infuper Cardi- Sæcul XVI.
A. C. 1562.
nale Mantuano inferiores absque omni
controversia primum eidem locum ce-
dere videbantur. Præterea sperabat
Pontifex, quod Burdaserius utpote na-
tione Gallus eo facilius ceteros Episco-
pos populares suos in officio continere,
magnamque Cardinalis Lotharingii au-
ctoritatem æquiparare, novaque ejus
molimina evertere posset.

§. CXIV.

*Papa novos Legatos ad Synodum
decernere a Cardinale Mantuano
deterritus.*

Interea Cardinalis Mantuanus hæc Pon- Pallav. l. c.
Mem. pour
le Conc. de
Trente Let-
tre de l'Isle
à la Reine
10. Off. p. 307.
tificis consilia edoctus per Jadrensem
Archiepiscopum Vicecomiti nuntiari
jussit, se æqui bonique habiturum, quic-
quid Pontifex decrevisset: aut fieri non
posse aiebat, ut Burdaserius coram Gal-
lis sese opponere auderet Lotharingio
Cardinali, cum is genere suo Princeps,
eruditione clarus, & tanquam cetero-
rum Franciæ Prælatorum Præses ad
Synodum missus fuisset: aliunde vero
hunc Cardinalem exinde offendi cre-
deret, si is Virum se inferiorem non sine
suo præjudicio in Synodi Præsidentem fuis-
se electum comperiret, proin ille abs
dubio suam indignationem exereret,
G g 5 omnes-